

DISSERTATIO ACADEMICA,
OBSERVATIONES NONNULLAS
DE
*JURE HÆREDITATIS PRIVATÆ IN
REPUBLICA PERNECESSARIO,*
Exhibens,



Quam

Conf. Ampl. Facult. Philos. Aboëns.

PRÆSIDE

*MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

ELOQU. PROF. REG. ET ORD. REG. ACAD. LITT. HUMAN. HIST. ET
ANTIQUIT. NEC NON R. SOC. SCIENT. UPSAL. MEMBRO,

PRO GRADU

Publico Examini modeste offert

GABRIEL ISRAEL HARTMAN,
Borea-Fenno,

In Auditorio Mathem. die 22 Junii 1798,
horis a. m. consuetis.



A B O Æ,
Typis FRENCKELLIANIS.

relictorum partem, jure hæreditario concesserunt *b*). Ac hi, qui juri hæreditatis non favent, dominia etiam rerum arctioribus circumscribi volunt limitibus, communionem rerum si non plenam *c*), tamen fundorum sive terrarum, commendantes, more veterum Germanorum *d*), (apud quos harum possesio ab una familia ad alteram annuatim transiit *e*), aliorumque populorum barbarorum vehementer laudato. Cum enim omnes homines juribus pares e gremio Naturæ in terram tamquam in commune hospitium egressi sint; putant terram, cuius muneribus nemo ad sustentationem suam carere potest, communem esse omnibus debere; quod cum ita sit, illum contra jus Naturæ et felicitatem societatis humanæ agere urgent, qui sibi plus terræ vindicet quam ipse suis viribus colere possit, quamque sibi ad victum et cultum sit necessarium, quod alias sic

b) Cfr. Legg. *Provinc. Westrogoth.* *Årfda Balkar.*, *Flukk.* I. §. I^o

c) Communionem tales rerum in magna perfectaque Civitate absurdam esse, adeo perspicuum est, ut demonstratione non egeat. In exigua tantum civitate, ubi omnes cives in una quasi familia vive-re, et magistratus in omnes uno quasi oculi istu inspicere possunt, locum aliquo modo habere potest. Neque Spartana ratio, (de qua PLUTARCHUS in *Lycurgo*) nisi in Civitate parva, quæ vicinis potentibus careat, adhiberi prospere queat.

d) Cfr. de his JULIUS CÆSAR *De Bello Gallio* L. VI, C. 22, et TACITUS *De morib. German.* C. 26.

e) Vitam degentium Nomadicam:

Immetata quibus jugera liberas
Fruges et Cererem ferunt;
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat forte vicarius,

ut pulcre canit HÖRATIUS (Carm. L. III. Od. 24. v. 12. seqq.)
Terras vastas, pro amplitudine sua parum habitatas, incolas venatu
et in pecuaria magis quam agricultura victum querentes, haec ratio
postulat. Cfr. Auctores qui de talibus populis scripserunt, Itine-
rarii maxime.

a terræ colendæ opportunitate excludat, adeoque hos jure suo naturali frui prohibeat. Unde porro omnem inæqualitatem in terris possidendis, ut injustam, felicitatique hominum adversam, de civitate bene constituta omnino exulare jubent. Sed hanc rationem, (quam qui commendare conarentur, etiam apud nos repertos esse, constat) parum esse firmam, neque cum fine et indole civitatis congruere, paucis ostendere co-nabimur.

§. 2.

Primum igitur observari debet, eos qui bona mobilia posse hereditate posteris recte relinquunt, et in iis possidendis inæqualitatem permitti, non vero item in terris, putant; parum constanter philosophari. Nam facile videre quisque potest, nihil inde utilitatis ad civitatem, quounque modo rem spectes, posse redundare. Cui enim bona mobilia abunde suppetunt, si vel nullam terram possideat, eadem tamen omnia commoda, quæ vel amplissimo fundo gaudens, sibi illorum operem comparare. Inæqualitas igitur fortunarum, sortem civibus valde inæqualem pariet. Alii aliorum cupiditatibus servire cogentur; divites imperium in pauperes saevum exercere valebunt. Vitia, quæ ex nimia conditionum inæqualitate oriuntur, Luxus, Avaritia, Invidia, Ambitio &c. arceri haud poterunt. Cujusmodi tamen argumentis contra inæqualem terrarum inter cives distributionem, uti solent.

Sed forte aliquis putet, illam inæqualitatem rerum mobilium non posse diu durare, si haec quæ fundos spectat, ex civitate expellatur. Verum neque haec ratio firmissimis nititur fundamentis. Nam, quamdiu per totum terrarum orbem talis æqualitas non dominatur, si vel in una alterave civitate adoptata fuerit, facilis contingit cupienti ac circumspicienti opportunitas opes divitiasque et sibi comparandi et iis fruendi. Quæ postea hereditate vel alio modo ad posteros transibunt.

Ac, si omne etiam cum peregrinis commercium, simulque omnis occasio opes ab illis sibi acquirendi, tolli posset; inæqualitas tamen opum intra fines reipublicæ, non modo contnuaret, sed etiam facile nasceretur. Nam quisque, alias ingenio, prudentia, industriaque superans, his ipsis artibus, Mercaturæ opificiisque animum applicans, divitias inveniret uberiores, atque per eas dominium tam in fundorum dominos, quam ipsos horum fundos, vario modo, directe vel indirecte, immediate vel immediate, acquireret. Segnis et infelix, necessitate ingrumente, luxuriosus et intemperans, cupiditate sua impellente, ad illum confugere cogetur, a quo, non nisi pactione intercedente, quam dives dictare valet, auxilium obtinebit. Qua ratione alter saepe non nisi alterius conductor ac pæne servus, tandem evadet.

Si vero communionem plenam terrarum adoptare placuerit; omnis illico industria atque culturæ magis magisque evenhendæ ac perficiendæ ratio, tolletur. Conditio enim industriæ et laboriosi deterior fiet conditione hominis inertissimi atque desidiosissimi. Ille enim publicum civitatis bonum spectans, non tantum pro se et suis, sed etiam pro inerti illo atque sordi, opus facere, ignaviamque sic ejus alere, necesse habebit,

§. 3.

Minus esse vel justum vel consultum, ut non nisi uni ciuium ordini jus fundos possidendi concedatur, facile damus. Inde enim omnium aliorum major vel minor servitus, necessario sequitur. Nam et terra carentes, et ab omni facultate atque spe ullam ejus portionem sibi acquirendi exclusi, rure vitam degere alio modo, quam terrarum possessoribus serviendo, et dominationem illorum tolerando, plerique non poterunt: cujas rei exempla in Russia, Polonia, Hungaria, Bohemia, Germania habentur abundantissima. Sed ubi cuique licet emere, si non omnis generis, aliquos tamen fundos, modo hī numero

numero non sint nimis pauci, aut tributis nimis præ reliquis onerati, hominibus industriis et prudentibus justa non est causa querendi. A fundo enim possidendo, ac si pecunia ad eum emendum sufficit acquirendo, nemo excluditur. Cumque nemini, nisi aut inerti ac segni, aut infelici admodum atque ægro, interdictum sit, pecuniam sibi iis artibus, quibus eam querere fas est, industria, ingenio, parsimonia &c. comparare; cuique etiam via ad fundum possidendum patet. His artibus carens, nullibi, nisi cæco fortunæ favore, per hæreditatem &c. fundos sibi comparare valet; qui igitur laborem suum aliis commonet ac terra aliena colenda vel artibus manuariis exercendis, aliove honesto modo, vitæ sibi præsidia paret.

Æqualitas juris, cuique tribuendi, opum sibi facultatumque, pro industria acquirendarum, ut a natura sancta, ita jamdiu a Philosophis evicta est: qui unanimiter fere consentiunt, æqualitatem bonorum atque possessionum, contra, sine industria opprimenda et ignavia provocanda atque quasi præmio ornanda, introduci et defendi non posse. Qui alteram illam minuit et opprimit, Jus humanitatis violat, ac in paupertatem, servitutem et miseriam, contra jus fasque, homines a Numine benefico ad felicitatem conditos, detrudit. Qui vero alteram æqualitatem tueri et stabilire vult, is ordinem in civitate turbare ac perdere studet, et quasi cogere homines instituit ut esse velint infelices.

Quæ cum ita sint, cumque fructu laboris sui libere frui, et pro arbitrio illum honeste adhibere, cuique liceat, neque cuiquam nisi injuria hoc jus adimi queat; videndum porro est, in quem, post mortem suam, jus fructibus laboris et industriae sue fruendi, transferri potissimum debeat.

§. 4.

Ut vero alias opes prætereamus (quia perpauci eas in liberos transferri, reipublicæ interesse negant, ac si de eis mo-

veatur quæstio, prope eadem omnia de eis valent, quæ de fundis dicturi sumus; ad successionem *in terras* defunctorum, cogitationem advertere in primis nos oportet. Quis autem mox non perspicit, jus in posteros suos fundum suum transferendi, vehemens calcar esse industriae? Nam si causas, quibus plerique homines ad industriam adhibendam impelluntur investigare volumus; præcipuas esse inveniemus, primum, Spei vitæ nostræ diu continuandæ, quæ facultatem nobis præbeat, fructibus diligentia nostraræ collectaque per illam rerum copia, olim utendi. Quisque enim suæ conservationi et felicitati incumbens, sibi acquirere eas cupit opes, quæ vitam suam non modo in præsens, sed futuro etiam tempore reddat commodam miseriaque et paupertate carentem. Nam cum nemo possit prævidere, utrum talis occasio opes acquirendi, qualis præfens tempus offert, in posterum sibi offerenda; opportunitatem præsentem sibi e manibus delabi non sinit, sed tantum rei quantum potest, cautus sibi comparat. Deinde, consuetudine hinc nata, et quoniam homines animum ad res præsentes magis, quam ad res longo post tempore futuras advertunt, appetitum a fine proposito in media (ut dicunt), sine quibus finem optatum non potest contingere, transfert: ut etiam finis laboris et contentionis suæ sæpe omnino excidat animo, ac ille se omnemque suam industriam, studium, vires, rebus præsentibus, ut fini, quamquam revera non nisi adjumenta sint finis obtinendi, applicet. Unde, sua quasi partem sui considerans, cum certum habet, aut semet ipsum, aut illos qui quasi pars ipsius sunt, liberos, fructibus laboris sui esse fruituros, industriam adhibere ad finem usque vite pergit. Sed si e contrario sciat, terram suam, se mortuo, non suorum sed aliorum futuram; laborem minus alacriter adhibebit: nam cum finis incertus sit, adminicula non æque studiosus conquirit, calculos suos ad pauciores annos restringens, ac rarissime commodis successoris incerti consulens.

Altera causa industriae terris colendis adhibendae, est Gloriæ spes, ex culturæ prudentia et successu metendæ. Sed ejus studio animi paucorum hominum ita inflammantur, ut suorum usum, commodum, felicitatem, ei postponant. Quapropter, si certum habent, fundos suos in posterum neque sibi, neque suis (uxori, liberis &c. quos amare in primis solent homines) ultui futuros; rarissime summam industriam et opes ad illos excollendos adhibebunt, sed potius quantum posunt, suorum commodis alia via promovendis, vires copiasque suas consecrabant.

Tertia autem et longe efficacissima industriae extimulandæ causa, est amor ille et affectus tenerrimus, quo in progeniem suam homo fertur. Commune nempe est omnium animantium, curam habere eorum, quibus vitam quisque dedit, eorumque saluti prospicere: quod maxime cernitur in eis, qui dotibus suis alia animantia longe superant, videlicet in hominibus. Cui veritati conseruandæ experientia omnium gentium atque temporum, argumenta et uberrima offert et certissima.

Sed aliquis nobis fortassis objiciat, experientiam eandem testari, non omnes tamen liberos suos futuramque eorum felicitatem vel consiliis suis vel studiis operaque spectare? Dubitari vero nequit, quin plurimi, naturæ voci parentes, vehementer eos ament, et de futura eorum forte valde sint solliciti. Quam multa audent et patiuntur homines uxoris et liberorum causa! Quam saepè sui obliiti, non nisi ad illos curam suam, labores, studium referunt, commoda, otium, opes, vitam denique ipsam, ut illis bene sit, spernunt atque discrimini offendunt! Ex quo perpicere facile licet, quam efficax industria calcar sit, spes illorum felicitatis firmandæ et cumulandæ: quam valide haec cogitatio et animi attentionem et laboris intentionem excitat, augeat, alat. Quod magis etiam haud paucorum exemplo hominum confirmatur, qui antea industriæ, amissis liberis, studium res acquirendi remise-

miserunt, atque jam paratis contenti, et segniores postea et negligenteriores facti sunt.

Hæc veritas eo etiam apertius in oculos incurret, si ad eam, quæ in vitæ suæ instituenda ratione vulgo inter homines cœlibes, et uxoratos patresque, observatur, diversitatem, animum attendamus. Hi semper fere confilia sua calculosque de fortunis non modo suis sed etiam hæredum et successorum suorum stabilendis, longius extendunt, curamque gerunt earum etiam rerum, quæ post mortem demum suam fructum sunt partituræ atque laboris impensi præmia allaturæ. Illi contra, earum maxime rerum quæ sibi vivis prodesse poterunt, studio tanguntur. Pecuniam suam ex. gr. sæpe majori fœnore hac conditione collocant, ut se mortuo fors debitori cedat (*mot. Lifranta*): quod de patre familie haud facile credi potest. Raro is, qui progenie destituitur sui laboris fructum perceptura, multo labore suforeque Palmam plantabit, nonnisi post centum annos dactylos edituram! Lætus autem arborem ferit, qui liberos suos fructu ejus umbraque fruituros sperat.

Pro certo igitur habere possumus, liberorum commoda, si non semper immediate industriam hominum plurimorum lignunt, semper tamen aliqua, remotiore licet atque tectiore vi, illam existimare. In republica, ad cujus promovendam prosperitatem civium industria maxime est necesaria habenda, (quia citra eam nec quæstus honesti et artes florere adeoque nec civitas incolis felicibus abundare, nec viribus pollere ad incolumentem suam tuendam sufficientibus potest, nec ordo debitus atque pax interna locum invenire), omnia igitur ea instituta pernecessaria æstimari debent, quæ tales industriam excitant et alunt. Cumque jam indubiis, ut putamus, argumentis evictum dederimus, jus fundos liberis suis hæreditate transmittendi, efficacissimum esse industriæ calcar; hoc jus ut in civitate conservetur, pernecessarium esse, manifestissima radiare luce putamus.

Idem etiam experientia quotidiana confirmat. Attendamus modo ad differentiam diligentiae et impensorum sumiuum, qui fundo emendando adhiberi vel a domino, vel a conductore solent; et ab hoc, ubi in paucos tantum annos, et ubi in quinquaginta aut octoginta, fundum conduceit. Consideremus quali cura fundi plerumque tractentur quos apud nos stipendi loco Civitas munerum publicorum administratoribus assignat, (etiam cum verisimile his est, iis se per totam vitam suam fruituros), et quo studio sapientes oeconomici prædia ornent *sua*, liberis suis post se cœsura. Neque non vulgo notum est, quantum differre soleat industria rusticorum, *terras suas hereditarias*, et colonorum, *alienos fundos colentium* (Gordgare och Landbönder, Skatte- och Frälse-bönder). Sed opus haud est, ut in his exponendis simus longiores. Vel ex hac tenus disputatis liquere putamus, quantum interstit Reipublicæ, ut quas ci-
ves possident atque colunt terras, eas ad posteros suos, se mortuis transituras esse confidant, quasque in illas excolendas, perficiendas, ornandas conferant impensas, operam atque industriam, eas seris suis nepotibus usui fore, oblectationi atque emolumento, sperent.